Quelle: https://manuscripta.at/?ID=832
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



satisfecerit omni iure quod in dictis platuris dignitatibus beneficiis ecclesiasticis officiis pensionibus unionibus prestamoniis et commendis bonis temporalibus et iuribus seu eorum altero habere pretenderit sit privatus. Ac eciam aliis officiis et beneficiis quibuscumque que tempore huiusmodi impetracionis obtinebat et eo ipso sententiam excommunicacionis incurrat, a qua nisi per dictum sacrum Concilium eo durante vel eius auctoritate nisi in mortis articulo absolvi nequeat quoquomodo, et nichilominus ad obtinenda predicta et quecumque alia beneficia seu officia perpetuo sit inhabilis, talium eciam concessionum executores predictis penis volumus subiacere, ut autem fraudibus que excogitari possent obviet quia cum datarum anticipacionibus in preiudicium aliorum litterarum papalium vel aliorum ipsius pape auctoritate subdata ante dissolucionem huius sacri Concilii in preiudicium alicuius predictorum tendentes produci possent nisi ante dictam Concilii dissolucionem fuerint publicate eis nulla fides debet adhiberi et pro nullis penitus habeantur. Datum Basilee in sessione publica eiusdem sancte Synodi celebrata in ecclesia maiori iiii° ydus Septembris Anno etc. xxxiii°

Sessio Quartadecima huius sacri Concilii Basiliensis habita vii° Novembris

Sacrosancta generalis synodus Basiliensis in spiritu sancto legitime congregata universalem ecclesiam representans. Terminum sexaginta dierum datum sanctissimo domino Eugenio pape quarto iuxta formam monitorii citacionis et suspensionis in sessione xii^a promulgatum ac deinde ad xxx dies et postea pluribus vicibus usque in presentem diem prorogatum. Hec sancta synodus volens erga ipsum dominum Eugenium omni mansuetudine ac benignitate uti tenore presencium ad Nonaginta dies ab hac die in medio sequentes cum omnibus clausulis qualitatibus et condicionibus indecretis tam monitorii lx dierum quam prorogacionis ad xxx dies insertis prorogat et prorogatum esse statuit. Ita tamen quod si infra predictos nonaginta dies omnia et singula contenta in quadam cedula cuius tenor in fine describitur realiter et cum effectu prefatus dominus Eugenius non adimpleverit pene in dictis decretis monitorii et prorogacionis contente eo ipso inflicte sunt et esse intelligantur.

Tenor vero cedule de qua supra fit mencio sequitur et est talis

Eugenius episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam ut mentis nostre integritas ac devocio quam ad universalem ecclesiam et sacrum generale concilium Basiliensem gerimus omnibus constet evidenter. Ideo tres nostras litteras quarum tenor de verbo ad verbum